

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

De Divina Psalmodia, Ejusque Causis, Mysteriis, Et Disciplinis, deque variis
Ritibus omnium Ecclesiarum in psallendis Divinis Officiis, Tractatus,
Historicvs, Symbolicvs, Asceticvs. Sive Psallentis Ecclesiae Harmonia -
Opus novum, & curiosum, ac multiplici eruditione illustratum ... Operum ...

Bona, Giovanni

Parisiis, 1678

§. 17. De Ritu Illyricorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9929

tertia Oratio; Hymnus cum primo Psalmo, & quarta Oratio: secundus Hymnus cum reliquis tribus Psalmis: deinde Responsorium, quinta, & sexta Oratio, tertium Canticum, septima Oratio, & quintum Canticum.

Completorium quinque Orationibus constat & tribus Psalmis, duobus Hymnis, & duobus Canticis. Una dicitur Oratio, & unus Psalmus: deinde secunda Oratio, & Hymnus cum secundo Psalmo: mox tercia, & quarta Oratio, & unum Canticum: tum Hymnus secundus cum tertio Psalmo: demum quinta Oratio, & secundum Canticum.

§. XVII.

De ritu Illyricorum.

I. **I**llyricum, seu Sclavonia propriè dicitur ea regio, quæ Dravum, Savumque amnem interjacet, ab occasu Stiria, ab ortu Danubio clausa, à Septentrione perpetuis montium jugis, quibus à Panonia discernitur. Sclavonia dicitur à gente Sclavonica, quæ olim circa Mæotidem paludem habitabat, & in has regiones descendit. Porro lingua Sclavonica longè, lateque patet, atque ideo plurimæ gentes sacra peragunt hoc idiomate. Ritum verò sequuntur vel Græcum, vel Latinum. Nam in Dalmatia littorali, in Liburnia, & in Istria omnes Ecclesiastici tam seculares quam Regulares Romano ritu psallunt, habentque Breviarum Romanum Illyrica lingua impressum. In cæteris autem regionibus, videlicet in Servia, Mysia, Bosnia, Bulgaria, Russia minori Regi Poloniæ subdita, in Volhinia, Podolia, & parte quadam Lituanie, aliisque finitimis provinciis ritu Græco divinum peragitur Officium, translatis Græcorum Typicis in Sclavonicam linguam. Eosdem Græcos ritus eadem

DIVINÆ PSALMODIÆ. CAP. XVIII. 659
lingua servant Moscovitæ, quorum Regio Russia ma-
jor, seu Roxolania nuncupatur & quicunque parent
Moscovitici Ducis amplissimo imperio: Christiani quo-
que Tartari circa Tauricam Chersonesum, Circassi,
& multæ Ponticæ nationes. Aiunt quidam Historici
Gregorium VII. usum hujus linguae in sacris Ulad sive
Bohemorum Duci noluisse concedere: sed concessum
jampridem fuisse, anno scilicet 880. narrat Baronius,

§. XVIII.

De ritibus Æthiopum, sive Abassinorum, & Coptorum.

I. **D**E rebus Abassinorum tres libros scripsit Nico-
laus Godignus, ex quibus statum illius regio-
nis curiosus lector intelliget. Est autem Abassia ea
pars Africæ, quam veteres Æthiopiam sub Ægypto
vocarunt, atque ejus Principis imperio subjecta est,
quem vulgo Europæi Pretejannem appellant. Ab ipso
exordio Apostolicæ prædicationis Christi fidem susce-
perunt Æthiopes, prædicante ipsis Eunicho Candia-
cis Reginæ quem paulò post S. Matthæus Apost. se-
quutus est. Unicum habent Episcopum, quem Abu-
nam id est Patrem vocant, missum illuc à patriarcha
Alexandrino. Schismaticos eos esse, & erroribus Dio-
ceti, atque Eucyhetis infectos notissimum est. His
addiderunt quasdam Judaicas superstitiones, quibus
pertinaciter adhærent. In sacris lingua Æthiopica
utuntur, quæ tamen à populari diversa est. Noctur-
num Officium vocant *Manfachalelit*, Primam *Neg*,
Tertiam *Selestù*, Sextam *Sedastù*, Nonam *Ta, aatiù*, Ves-
peras *Saro*, Completorium *Noam*. Copti, seu Copti,
sunt quidam Christiani Ægyptii sic dicti à Copto ce-
leberrima olim civitate, & Metropoli Thebaidis de
qua Strabo lib. 17. & Plutarchus lib. de *Osiride*. Ha-

Viiij